



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Fratribvs Hospitalivm sancti spiritus apud urbem & Montempessulanum  
Domino famulantibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

injuriam irrogetis, indicentes ipsi purgationem canonicam, si fortè super is fuerit infamatus. Datum Anagninæ VIII. Idus Iunij, anno undecimo.

*FRATRIBVS HOSPITALIVM  
sancti spiritus apud urbem & Montempesulanum Domino famulantibus.*

*Epist. 104.  
Vt caput ordinis S. Spiritus sit in urbe Romana.  
Vide infra epist. 109.*

**D**Efuncto Romæ felicis memorie Guidone, qui vestrorum hospitalium primus exiit institutor & rector, cum quidam ex fratribus vestris à Montepesulano directi, & alij venientes ab urbe pro substitutione rectoris, in nostra essent præsentia constituti, de ipsorum consilio & assensu, quia videbatur plurimum expedire, statuimus ut caput & magisterium ordinis vestri perpetuò perseveret in urbe apud hospitale sancti spiritus in Saxia, ita quòd rector ipsius præsit universis fratribus ordinis vestri tam præsentibus quàm futuris, omnesque sibi teneantur impendere obedientiam & reverentiam regularem, cum autem hospitalis quod est apud Montepesulanum rector fuerit eligendus, de consilio & assensu rectoris hospitalis quod est apud urbem regulariter eligatur. Vnde nos secundum formam constitutionis hujusmodi eligi fecimus dilectum filium fratrem P. de Granerio in summum rectorem hospitalis sancti spiritus in Saxia, firmiter injungentes ut de ipsius consilio & assensu in hospitali sancti spiritus apud Montepesulanum rector idoneus eligatur. Quocirca universitatem vestram per apostolica scripta monemus quatenus quod à nobis est salubriter institutum, à vobis & successoribus vestris & nunc & semper inviolabiliter observetur, ceteris in suo robore permanentibus quæ in privilegio utriusque hospitalis à nobis indulto continentur expressa. Nullo ergo &c. nostræ constitutionis & jurisdictionis &c. Si quis autem &c. Datum Anagninæ VI. Idus Iunij, anno undecimo.

*ARCHIEPISCOPO RAGVSINO  
& Archidiacono Traguriensi.*

*Epist. 105.  
Irritatur sententia lata contra Templarios.  
\* Croatia*

**S**ignificaverunt nobis fratres militiæ Templi de \*Vratia quòd cum ad venerabilem fratrem nostrum Episcopum Tinnensem contra Nonensem Episcopum nostras litteras impetrassent, idem Nonensis Episcopus amicabiliter super iis de quibus inter ipsos quæstio vertebatur composuit cum eisdem, sed præfatus Tinnensis Episcopus ex litteris nostris occasione suscepta præfatum Nonensem Episcopum,

contra quem rancorem conceperat, eisdem fratribus nescientibus, excommunicationis vinculo innodavit, ductus arbitrio propriæ voluntatis, non iudicio rationis. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita plenius veritate, si rem inveneritis ita esse, præfatum excommunicationem denuntietis irritam & inanem. Nullis litteris &c. Datum Anagninæ III. Idus Iunij, anno undecimo.

*YPORIENSI EPISCOPO.*

**C**VM Thessalonicensis metropolis, quæ in regno Græcorum quasi præcipua post Constantinopolitanam sedem habetur, pastoris sit regimine destituta nos ei volentes paterna sollicitudine providere, personam tuam, quam multiplici dote virtutum reputamus idoneam, ejus regimini duximus deputandam, terræ potestatis accedente consensu, quin etiam desiderio concurrente. Credentes igitur, immo pro certo tenentes quòd tuum jacans in Domino cogitatum, à quo gressus hominis diriguntur, illud debeas respondere, *Domine, si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*, fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, in remissionem peccaminum injungendo, quatinus divinæ vocationi consentiens, onus istud pro Deo reverenter assumes, & novellæ plantationi, quæ si tuo fuerit exulta labore, fructum speratur multimodum productura, manuum irrigationis apponas, ut ille tribuat incrementum qui tuum ministerium in hac parte requirit. Dispositis itaque quæ ad hoc cognoveris necessaria, nostro te conspectui repræsentans, recepturus à nobis consilium & auxilium opportunum. Datum apud sanctum Germanum V. Kal. Iulij, anno undecimo.

*CAPITULO GERVNTINENSI.*

**D**ilectus filius magister Guillelmus concanonice vestre olim apostolatu nostro suggestit quòd bonæ memorie Episcopo vestro viam universæ carnis ingressu, major & sanior pars vestri convenerat in eundem & ipsum eligere in Episcopum proponebat, sed impediente nobili viro Comite Cutronensi non fuit electio celebrata. Postmodum autem idem Comes de ipso episcopatu Madium Capellanum suum investiens, vobis injunxit ut vel à terra recederetis ipsius, vel eli-

*Epist. 106.  
Vt consecrati translatio sine ad Ecclesiam Thessalonicensem.  
Filius epist. 104.  
Patriarcha Antiochenus. Vide infra lib. 11. epist. 8. & 13.*

*Epist. 107.  
De electione Episcopi.  
Cap. Dilectus.  
De consensu prebenda.*